1327
1 lib° fo. 3

Henricus dei gratia Romanorum Rex semper augustus. Universis sacri
Romani Imperii fidelibus presentes literas inspecturis gratiam suam et omne bonum
Ad hoc nos ille qui Celum terramque regit sua omnipotenti ordinatione constituit
Ut inter ceteras nostras sollicitudines hec sit quasi precipua quod hiis qui semper
erga sacrum romanum Imperium ipsiusque dominos Principes Imperatores ac
romanos Reges predecessores nostros suis fidelissimis ac devotissimis obsequiis
perseveranter et incunctanter claruerunt nobisque omni promptitudine fidei et devotionis
non desistunt aliqualiter adherere sua Iura libertates et gratias seu immunitates
suas quascumque conservemus manuteneamus ac deffendamus Immo etiam semper
gratiosius augeamus. Ex parte Igitur fidelium nostrorum et sacri Imperii, comunis
et hominum Castri de trivillio grasso, serenitati nostre regie extitit multipliciter
supplicatum quatinus de solita nostra augustali clementia omnia privilegia que
a Sacratissimis principibus Rom. Imperatoribus et Regibus predecessoribus
nostris et specialiter Lotario. Friderico. Henrico. Conrado. Ottone. et
Henrico ultimo eis gratiose indulta sunt et concessa ipsis ac dicto castro de
trivillio dignaremur de Benignitate regia confirmare. Nos vero ipsorum instantiis
supplicationibus tamquam Iustis favorabiliter annuere cupientes ipsis Comuni
ac castro trivillii predictis omnia privilegia prout per Invictissimos romanorum
Imperatores et Reges predecessores nostros et nominatim per superius
expressos rite et rationabiliter indulta sunt tradita et concessa. Ratifficamus
approbamus et presentis scripti patrocinio confirmamus Recipientes terram,
territorium et districtum Comune et homines dicti Castri trivillii in nostram
et sacri Imperii protectionem specialem ac tenentes et servantes eandem terram
territorium et districtum pro nostra camera Imperiali sic quod deinceps imperpe-
tuum ipsa terra nulli preterquam Romano Imperio subsit nec debeat aliqualiter
subiacere. contractus etiam emptionis seu permutationis per predictos Comune
et homines de Trivillio cellebratos et factos cum monasterio sanctorum Ger-
vasii et Protasii seu Simplitiani Mediolani omnemque liberationem et absolutionem
per ipsum monasterium et per alios quorum Intererat factas Comuni et
terre trivillii supradictis prout inde facte sunt ratas habentes. Approbamus

cod 1507
Mailand: Biblioteca Trivulziana
5
fol 3v–4
1311 März 31